



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

2. Cura nouitij circa corporis disciplinam debet esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

Quod cura nouitij primò circa corporis disciplinam debeat esse.

CAPVT II.

Nouitij cura primo debet esse circa corpus, & exterioris hominis compositionem: sicut Deus corpus Adam primò formauit: postea spiraculum vitæ in faciem eius inspirauit. Et sicut in utero materno corpus primò formatur: postea rationalis spiritus ei infunditur: sic informationi & disciplinæ corporis debet primo intendere, qui nouus est in religione. Non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale. Nouo militi Christi, cui imminet forte bellum, necessariū est habere equum benè edoctum: non lentum, vel effrenem, vel umbrosū, vel aliter vitiosum: sed seffori obedientem, laboris & percussionum patientem, strepitum non timentem. Equus paratur ad diem belli. Dominus autem salutem retribuet. Non est negligenda spiritui corporis sui cura: per quod etiam in statu culpæ differt ab Angelo malo. Reconciliabilis enim est Deo per pœnitentiam: dum est vnitus carni. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. In illo solo est susceptibilis primæ gratiæ: in illo solo est ei locus merendi.

Tractando de disciplina corporis: Primò, disciplinam describemus vt agnoscat. Secundò, eam commendabimus vt ametur. Tertid, viam perueniendi ad eam ostendemus, ne in acquisitione eius inaniter laboretur. Quartò de eius partibus prosequemur.

Quot